officia peragenda. Quare Canonicatus non eſt Beneficium ſimplex: tum quia perſonalem Reſidentiam requirit ex Concilio Tridentino *ſeſſ.24.cap.12.de Reform.* tum quia Canonicus majorem præ cæteris Clericis Præcedentiam habet, *ex cap. Statutum 22. de elect. in 6.*

42 IV. Beneficium ulteriùs dividitur in *electivam*, quod confertur per electionem legitimè celebratam, & à Superiore confirmatam, in *Patronatum*, quod ad Patroni præviam præſentationem, & ſubſecutam inſtitutionem à prælato factam confertur; & in *collativum*, quod per liberam Superioris Collationem, ſine prævia Capitulari electione, vel alterius præſentatione confertur. Item Beneficium aliud eſt *manuale*, quod non confertur alicui in perpetuum, ſed ad nutum conferentis, vel alterius; ita ut beneficiatus pro libitu ipſius amoveri poſſit: & ideò tale beneficium non eſt propriè beneficium: quia non eſt jus perpetuum, prout requiritur ad rationem beneficii propriè dicti, juxta dicta ſuperiùs *num.* 39. Aliud eſt *non manuale*, quod nimirùm confertur in perpetuum. Denique beneficium aliud eſt *canonica*, ſeu *canonicatus*, quod eſt jus ſpirituale proveniens ex electione, ſeu receptione alicujus in Canonicum: aliud eſt *Vicaria perpetua*, quando presbyter vice principalis Rectoris deſervit Eccleſiæ, & confertur in perpetuum cum canonica inſtitutione, ſeu inveſtitura, ac erectione tituli Vicariæ, nam Vicaria temporalis, qua Vicarius non inſtituitur in perpetuum, non eſt beneficium propriè dictum; eo ipſo, quia non eſt jus perpetuum. Similiter loquendo de Cappellania (hoc eſt, de beneficio ſimplici fundato in capella, ſeu Eccleſia quapiam cum auctoritate, & conſenſu Epiſcopi) ſi hæc fuerit perpetua, & conceſſa in titulum venit nomine beneficii propriè dicti: aliàs ſecus; exceptis nonnullis caſibus videndis apud Reiffenſtuel *cit. num.* 71. *Commenda* eſt cuſtodia Eccleſiæ alicui commiſſa. Unde Commendatarius dicitur ille, qui accepit Eccleſiam in commendam, ſeu cuſtodiam ejuſmodi: & ſiquidem commenda ſit perpetua, ſicut defacto ſunt, æquiparatur beneficio propriè dicto, ex Conc. Trid. *ſeſſ.24.cap.17.de Reformat.* Ubi prohibetur quis habere *plura beneficia, etiam commendata.* *Præſtimonium*, per quod intelligitur ſtipendium, quod ab Eccleſiaſticis redditibus abſtractum dari ſolet Canonicis, vel aliis Clericis in Vitæ ſubſidium, ſi ſit perpetuum, eſt beneficium propriè dictum: ſecùs, ſi ſecùs. Item dicendum eſt de *Penſione*, quæ eſt Jus percipiendi partem fructuum ex alieno beneficio. Plura de his, qui volet, legat apud Reiffenſtuel *cit. num.* 57. *& ſeqq.*

§. II. Non licet ſimul retinere plura Beneficia Eccleſiaſtica, exceptis aliquibus caſibus.

43 I. PApa, ſive Romanus Pontifex, habet poteſtatem conferendi omnia beneficia totius mundi. Ita communis Theologorum, & Canoniſtarum, atque habetur expreſſum *c. 2. de præbendis in 6.* Poſt Papam verò Ordinarius Collator beneficiorum in ſua diœceſi eſt Epiſcopus. Eſt itidem communis, & patet *ex can. Regenda 10. q. 1. & can. omnes Baſilicæ 16. q. 7.* Tribus autem potiſſimùm modis conferuntur beneficia I. *per electionem Canonicam*, ſeu legitimè celebratam à Capitulo, vel aliis, quorum intereſt, atque à Superiore confirmatam. II. Per *Præſentationem præviam*, & inſtitutionem in beneficio factam à prælato III. Per *collationem liberam*, quando videlicet Beneficium ſolo Jure prælati libere, ſeu abſque prævia Capitulari Electione, vel alterius præſentatione, cuipiam idoneo clerico confertur.

44 II. Ad legitimam autem proviſionem, ſeu collationem Beneficii Eccleſiaſtici requiritur 1. Quod ſit *Canonica*, hoc eſt, facta juxta præſcriptum Sacrorum Canonum 2. *Ut fiat gratis*, hoc eſt, non pretio, pecunia, ſeu mercede temporali interveniente: alioquin quippe contraheretur ſimonia, qua proviſio beneficii vitiatur, ipſoque jure invalida exiſtit ejus acquiſitio, *extrav. cum deteſtabile, de Simon. inter commun.* de quo videtur P. Patritius Sporer *tr. 2. in 1. Præcept. Decal. cap. 10. ſect. 4. §. 4. num. 33. & ſeqq.* 3. Ut Collatio beneficii non ſit obtenta ſubreptitiè, hoc eſt, per expreſſionem falſitatis, aut ſuppreſſionem veritatis de jure exprimendæ, alioquin ipſa non tenet, ac nullius exiſtit momenti, *ex cap. cum adeò 17. & cap. ad audientiam 31. de Reſcriptis* 4. Ad validam proviſionem, ſeu collationem beneficii etiam requiritur, ut fiat intra debitum tempus, hoc eſt, intra tres menſes, loquendo de Eccleſiis Cathedralibus, & Regularibus prælato perpetuo vacantibus, vel intra ſemeſtre, à die notæ vacationis computandum, loquendo de cæteris prælaturis, Dignitatibus & Beneficiis Eccleſiaſticis *ex cap. Ne pro defuncto 41. de Election. & cap. Nulla 2. &c. Quia diverſitatem 5. §. fin. de conceſſione Præbendæ.*

45 III. Beneficia ſingula ſingulis ſunt conferenda, non plura uni. Ita Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. cap. 17. de Reform.* inquiens, quòd *Eccleſiaſticus Ordo pervertatur, quando unus plurium officia occupat Clericorum: & quòd improbæ cupiditatis affectu ſeipſos, non Deum decipiant, qui ea, quæ benè conſtituta ſunt, variis artibus eludere, & plura ſimul Beneficia obtinere non erubeſcunt, &c.* Accedit, quod ex pluralitate beneficiorum uni collatorum, plura oriantur inconvenientia, quæ deplorat Joannes Papa XXII. *in Extravag. execrabilis, de Præbendis, & Dignitatibus*, ſequentibus verbis: *Unde inter cætera inconvenientia, ſubſcripta naſcuntur, quod videlicet interdum unus, qui unum, quamvis modicum vix officium implere ſufficeret, plurimorum ſibi vendicet ſtipendia, quæ multis literatis viris vitæ puritate, ac teſtimonio bonæ famæ pollentibus, qui mendicant, poſſunt abundè ſufficere, æqua diſtributione collata: habentibus ipſa paratur vagandi materia, Divinus cultus minuitur, hoſpitalitas in ipſis beneficiis debita non ſervatur. Et dum non ſunt ſui in unaquaque Regione Rectores, Eccleſiarum detrahitur commodis, & honori, quæ carentes defenſorum auxilio, in juribus ſuis, & libertatibus, multipliciter collabuntur, & ruinis patent ædificia nobilia, quæ Magnificentia extruxerat Deceſſorum. Et (quòd amariùs eſt dolendum) animarum Cura negligitur, & vitiorum ſenſibus fomentum periculosè præbetur.* Hæc Pontifex, miſera experientia ampliùs comprobata.

46 IV. Dantur nihilominùs aliqui caſus, in quibus plura Beneficia Eccleſiaſtica ſimul retinere, peccatum non eſt juxta communem DD. Primus eſt; quoties ipſa beneficia de ſe non ſunt incompatibilia, ſimulque unum eorum non ſufficit ad honeſtam Clerici ſuſtentationem. Ita Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. de Reform. cap. 17.* Secundus eſt, quando Summus Pontifex rationabilibus de cauſis diſpenſat ſuper pluralitate beneficiorum ſimul retinendorum. Reliquos caſus vide apud *P. Reffenſtuel citat. num. 207. & ſequentibus.*

§. III. In eligendis ad Prælaturas, & Beneficia Eccleſiaſtica requiritur ætatis maturitas &c.

47 I. PEr *Ætatis maturitatem* intelligitur legitima ætas à Sacris Canonibus præſcripta, qua non ſervata electio eſt nulla, & ſcienter eligentes incurrunt pœnas in jure ſtatutas, ut patet *ex cap. cum in cunctis 7. de Electione, & electi poteſtate, & cap. indecorum 3. de ætate, & qualitate præficiendorum*, ubi hujus ratio aſſignatur, quia videlicet *indecorum eſt, ut hi debeant Eccleſias gerere, qui non noverunt gubernare ſeipſos: cùm ad Eccleſiarum regimen tales perſonæ ſint admittendæ, quæ diſcretione præemineant, & morum fulgeant honeſtate.* Hæc ibi. Itaque pro quocunque Beneficio Eccleſiaſtico obtinendo ad minimum, defacto, requiritur ætas quatuordecim annorum inchoatorum; prout noviſſimè ſtatuit Concilium Tridentinum *ſeſſ.23. de Reform. cap. 6.* ibi *nullus ante decimum quartum annum, Beneficium poſſit obtinere.* Ut verò quis poſſit eligi, ſeu promoveri ad regimen Eccleſiæ Parochialis, requiruntur ex parte ipſius viginti quinque anni, ad minùs inchoati, *ex cap. cum in cunctis 7. de electione, & electi poteſt. &c. licet canon. 14. de elect. & electi poteſt. in 6.* ibi; *Decernentes, collationes de Parochialibus Eccleſiis, his, qui non attigerint vigeſimum quiutum annum, de cætero faciendas, viribus omninò carere.* Porrò ad dignitates, & perſonatus, quibus nulla animarum cura ſubeſt, debent, promovendi, præſertim in Eccleſiis Cathedralibus, non eſſe minores viginti duobus annis, juxta noviſſimum Decretum Concilii Tridentini *ſeſſ.24.de Reform. cap. 12.* Denique ad dignitates, & Miniſteria Eccleſiaſtica quæcunque quibus animarum cura ſubeſt, nullus promoveri poteſt, niſi vigeſimum quintum ætatis annum attigerit: *ex cap. cum in cunctis cit.* & ex Concilio Tridentino *ſeſſ.24. de Reform. cap. 12.* Ut quis verò eligatur in Epiſcopum, requiritur ætas triginta annorum completorum: ut iterum patet *ex c. Cnm in cunctis cit.*

48 II. In eligendis requiritur *gravitas morum*, quæ conſiſtit in ſequentibus 1. Ut eligendus ad prælaturas, & beneficia Eccleſiaſtica, ſit *ex legitimo Matrimonio procreatus*: illegitimus enim cujuslibet beneficii incapax eſt, niſi cum eo diſpenſetur, *ex c. cum in cunctis cit.* 2. Ut eligendus *ſit clericus*, hoc eſt, ut ſaltem quis prima tonſura initiatus ſit. Nam aliàs quilibet, & ad quodlibet Beneficium, inhabilis exiſtit; adeò quidem, ut non ſufficiat, poſt illud jam acquiſitum tonſurari, *ex cap. ex litteris 6. de tranſact.* 3. *Ut ſit in Ordone Sacro conſtitutus*, licèt enim ad beneficium ſimplex, per ſe, & quantum eſt de jure communi, ſufficiat prima tonſura, dummodò illud ex ſua inſtitutione non requirat certum Ordinem: nihilominùs ad Canonicatus, & portiones Cathedrales ex diſpoſitione Concilii Tridentini *ſeſſ. 24. de Reform. cap. 12.* requiritur Ordo Sacer. Item ad Archi-Diaconatum requiritur ordo Diaconatus: ad decanatum verò, atque ad alia beneficia, quæ curam animarum habent annexam, ſicut, & ad regimen Eccleſiæ Parochialis requiritur Ordo Presbyteratus, vel jam receptus, vel ſaltem intra tempus à jure præfixum (hoc eſt, intra annum) recipiendus, *ex cap. cum in cunctis 7. §. inferiora, de elect. & electi poteſtate, & c. licèt canon. 14. eodem tit. in 6.* Ubi promotus ad Eccleſiam Parochialem jubetur intra annum, à tempore commiſſi ſibi regiminis numerandum, ad Sacerdotium promoveri: ſin minùs, elapſo anno Eccleſia ſibi commiſſa eſt ipſo jure privatus. Cùm igitur Concilium Tridentinum nihil diſpoſuerit de Canonicatibus Eccleſiarum Collegiatarum, ſed iſtud reliquerit intra terminos illos, qui ante dictum Concilium præſcripti fuerant, hinc ad Canonicatus Eccleſiæ Collegiatæ etiam inſignis requiritur, atque ſufficit prima tonſura, & ætas quatuordecim annorum, quæ generatim requiruntur ad quodcunque beneficium etiam ſimplex, juxta ſuperiùs dicta. Licèt talis Canonicus interim vocem in capitulo non ſit habiturus, donec Sacro Ordine Subdiaconatus fuerit inſignitus. Ita Reiffenſtuel in 1. *Decret. tit. 14. de ætate, & qualitate præficiendorum num.* 20. 4. Requiritur *abſentia cenſuræ; atque irregularitatis. §. Vera fides*: unde non ſolùm non baptizati ſed etiam Hæretici, Schiſmatici, imò & Neophyti (hoc eſt, noviter ad fidem converſi, ſunt ineligibiles ad beneficia Eccleſiaſtica. Reiffenſtuel *in 1. Decret. tit. 6. de electione num.* 223. & ſeqq. 6. Requiritur, *ut non ſit infamis*: nam ut habet *Regula 87. juris in 6. infamibus porta non pateat dignitatum* 7. Requiritur, ut eligendus *ſit de gremio Eccleſiæ Capituli, Diœceſis, aut Provinciæ, ubi ſit electio*: Quia talis in pluribus conſuevit eſſe utilior ad bonum commune; ſiquidem magis diligit Eccleſiam, in qua nutritus eſt, ut notavit D. Thomas *2. 2. quæſt. 63 art. 2. ad 4.* 8. Requiritur ex parte eligendi ad beneficium Eccleſiaſticum, intentio ſtatus Eccleſiaſtici. Si enim quis accipiat beneficium Eccleſiaſticum; eo dumtaxat animo, ut ex ejus fructibus ſuſtentari valeat, donec ſtudia ſua abſolverit, vel divitem uxorem repererit, intentione poſteà beneficium deſerendi, peccat mortaliter, nec poteſt tuta conſcientia illud retinere. Ita Leſſius *l.2. de juſt & jur.cap.34. dubit.26. num. 132.* allegans communem. Nihilominùs ſatis eſt, ut quis ſincero animo, bonaque fide proponat ſtatum Eccleſiaſticum retinere, neque ab eo reſilire, niſi juſta cauſa ſupervenerit: quia non eſt mens Eccleſiæ, per beneficium ita firmiter adſtringere Clericum ad ſtatum Eccleſiaſticum, ut nulla de cauſa: licet adhuc ſit conſtitutus in Ordinibus Minoribus, poſſit eum deſerere, ineundo Matrimonium. Reiffenſtuel *in 1. Decret. tit. 14. de ætate, & qualitate præficiendorum, num.* 7. 9. Etiam requiritur *carentia alterius beneficii incompatibilis*: non quidem, quod collatio ſecundi beneficii incompatibilis ſit nulla (valida enim eſt) ſed quòd adepta pacifica poſſeſſione ſecundi vacet primum: prout declaraſſe Sacram Congregationem Cardinalium Concii. Tridentini interpretum, refert Fagnanus *c. ſuper inordinata, num. 9. de præbendis* 10. Requiritur *Cœlibatus*, hoc eſt, ut quis non ſit Matrimonio ligatus; ſiquidem collatio facta ei, qui Matrimonio junctus eſt, invalida exiſtit, *cap. ſanè 2. de Clericis conjugatis*. Quinimo ſi clericus in Minoribus Ordinibus conſtitutus habeat beneficium, & poſteà contrahat matrimonium, illud ipſo jure perdit. *ex c. 1. & 3. de clericis conjugatis*. Et communi DD. tradit Sanchez *l. 7. de Matr. diſp. 42. num. 4.*

49 III. In eligendis ad prælaturas, atque officia Eccleſiaſtica requiritur ſaltem *tanta ſcientia*, ſeu rerum agendarum notitia, quanta eſt neceſſaria, & ſufficiens ad ritè exequendum officium ſuum, ad quod quis eligitur. Idem dicendum in eligendis, ſeu promovendis ad alias dignitates, & officia Eccleſiaſtica. Fagnanus *in cap. cum in cunctis num. 144. de elect. & electi poteſtate.* Garzias *part. 7. de Beneſ. c. 7. nu. 33.* Paſſerinus, Engel, Reiffenſtuel, & alii. Ratio eſt: Quia alioquin procedat propheticum illud *Oſeæ cap. 4. quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.*

50 IV. Alienis peccatis communicantes mortaliter peccant qui, niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles ipſi dijudicaverint, ad Eccleſias promovent. Ita verbatim Concilium Trident. *ſeſſ. 24. c. 1. de Reform.* Quod verum eſt non tantùm de electione, & promotione ad dignitatem, & officium Cardinalis, Epiſcopi, Abbatis, ac Prælatorum Regularium, ſed etiam de electione, & promotione ad Eccleſias Parochiales. Ita Paſſerinus *cap. 30. de elect. num. 1. allegans plurimos authores*, addenſque *n. 81.* id certum eſſe. Joannes Cardenas *in Chriſi Theologica, ſuper propoſitione 47. per Innocentium Undecimum damnata, capite quarto numero quadrageſ.* Joannes Maria Sbogar *in Theologia Radicali, tractatu 15. num. 10.* Maſtrius *in Theologia Morali d. 6. quæſt. 1. art. 1. num. 7.* citans Divum Thomam *2. 2. quæſt. 63. art. 2. & quæſt. 185. art. 3.* Cajetanum, Antoninum, Palatios, Sotum, Leſſium, Sanchez, Vaſquez, Turrianum, Salonium, Caſpenſem, Sylveſtrum, & alios. Ratio eſt: quia omnibus ſupradictis incumbit regimen Eccleſiarum, atque animarum, ſed Eccleſiarum, & animarum regimen eſt onus Angelicis humeris formidandum; ut loquitur Concilium Tridentinum *ſeſs. 6. c. 1. de Reform.* illicò hinc faciens concluſionem: ergo ad illud, qui maximè digni ſunt, aſſumantur, conſequenter peccant, & quidem mortaliter, qui ad tam grave officium, tantumque onus eligunt minùs dignum, prætermiſſo digniore: ſunt enim cauſa omnium malorum, atque peccatorum, ex promotione minùs digni conſequentium: ſicque, ut loquitur Concilium Trid. communicant alienis peccatis. De qua re vide *P. Patritium Sporer tract. 5. in 7. & 10. Præceptum Decal. c. 5. ſect. 5. §. 3. num. 113. & ſeqq.* Aliqua tantùm ſuperaddo 1. Quòd licet electio indigni ad prælaturam, vel beneficium, vel officium Eccleſiaſticum ſit ipſo jure irrita, atque invalida *ex cap. dudum 22. de elect.* Nihilominùs ſi fiat electio digni, poſthabito etiam digniore, eadem in utroque foro, tam interno ſcilicet, quàm externo, ſit valida, nec reſcindi poſſit. Ita D. Thomas *2. 2. quæſt. 63. art. 2. ad 3.* Garzias *parte 7. de beneficiis, cap. 16. num. 2.* citans plurimos alios, Zoeſius *tit. de elect. & elect. poteſtate* Engel *eodem tit. n.* 47. Reiffenſtuel *eodem num.* 228. cum communi. Idque deſumitur ex *cap. cum nobis 19. & cap. cum dilectus 32. de elect. & electi poteſtate*, ubi talis electio minùs digni, omiſſis dignioribus refertur, & ſtantibus aliis confirmanda cenſetur. Accedit ratio: quia ſi electio impugnari poſſet in foro externo, ſeu Judiciali, ex eo dumtaxat, quòd non fuerit electus dignior, facilè omnis electio poſſet habere hanc calumniam, & lata porta aperiretur innumeris litibus, quod eſt abſurdum 2. Quando eligitur dignus, relicto non notabiliter digniore, non committi peccatum mortale, docet Lugo *diſp. 35. de juſtit. & jure ſect. 3. num. 21.* Sanch. *lib. 2. conſil. cap. 2. dub. 1. num. 17.* Garzias, Navarrus, Sotus, Sylveſter, & Alii ab ipſis relati. Siquidem tunc à mortali excuſat parvitas materiæ, ſicut, & in aliis talibus materiis iſtud contingere ſolet. Deinde loquendo de beneficiis ſimplicibus, & nullam curam animarum habentibus, non eſſe peccatum mortale, eadem conferre dignis, omiſſis dignioribus, cenſent multi auctores, apud Reiffenſtuel *citat. num.* 247. nimirùm *Lugo, Leſs. Garzias, Navarrus, Diana, Cardenas*: quamvis contrarium tenere videatur D. Thomas *2. 2. quæſt. 63. art. 2.* eumque non pauci alii ſequantur. Ratio prioris ſententiæ eſt. Quia neque Concilium Tridentinum *cit. ſeſs. 24. cap. 1. & 18.* Neque propoſitio 47. damnata ab Innocentio XI. agit de beneficiis ſimplicibus, ſed ſolùm de Curatis, ſimulque periculum tanti mali non imminet, neque ex iis adeò pendet bonum Eccleſiæ, ſicuti ſit in Curatis; ac proinde faciliùs poteſt excuſari elector: qui ſemel, aut iterùm digniorem omittit, dummodò alter ſit verè dignus: & hoc communiter non fiat: prout limitat Lugo *cit. ſect. 2. n. 20.* & Leſſius *lib. 2. de juſtit. & jure, cap. 34. dubitat. 14.* Ne alioquin ſucceſſivè graviter lædatur Eccleſia, ſi ſemper digniores omittantur, & nemo curet promovere digniores in ejus miniſtros. 3. Poteſt minùs dignus eligi, quando dignior ex induſtria ad aliud majus beneficium brevi vacaturum reſervatur; item quando electio reſtringitur ad perſonas talis loci, vel communitatis, tunc enim poſſunt omitti digniores alterius loci, vel communitatis, qualia eſſe ſolent beneficia, quæ vocantur *Patrimonialia*. Ita Lugo, apud Maſtrium c. *num.* 12.

51 Quantum ad electiones Regularium, Concilium Trid. *ſeſſ. 25. c. 6. de Regularibus* ſtatuit ſequentia: *In electione Superiorum quorumcumque Abbatum temporalium, & aliorum officialium, ac Generalium, & Abbatiſſarum, atque aliarum Præpoſitarum, quo omnia rectè, & ſine ulla fraude fiant, imprimis ſancta Synodus diſtrictè præcipit, omnes ſupradictos eligi debere per vota ſecreta, ita ut ſingulorum eligentium nomina nunquam publicentur. Nec impoſterùm liceat Provinciales, aut Abbates, & Priores, aut alios quoſcunque titulares, ad effectum electionis faciendæ conſtituere, aut voces, & ſuffragia abſentium ſupplere. Si verò contra hujus Decreti conſtitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita ſit.* Hæc Concilium cit. quod cap. 7. ſubjungit, *Abbatiſſa, & Prioriſſa, & quocunque alio nomine præfecta vel præpoſita appelletur, eligatur non minor annis quadraginta, & quæ octo annis poſt expreſſam profeſſionem laudabiliter vixerit. Quòd ſi his qualitatibus non reperiatur in eodem Monaſterio, ex alio ejuſdem Ordinis eligi poſſit. Si hoc etiam incommodum Superiori, qui electioni præeſt, videatur, ex iis, quæ in eodem Monaſterio annum trigeſimum* ex-

exceſſerint, & quinque ſaltem annis poſt profeſſionem rectè vixerint, Epiſcopo, vel alio Superiore conſentiente, eligatur. Duobus verò Monaſteriis nulla præficiatur. Hæc ibi. Inſuper notat Matthæucci *in officiali Curiæ Regularis, quoad Electionem Prælatorum cap. 15. num. 40.* Quod Regulares prælaturæ, etſi ſtricta, & propria ſignificatione, beneficia Eccleſiaſtica nuncupari non poſſint, ex non adjuncta utilitate reddituum Eccleſiaſticorum, tamen, ut obſervat *Lezana, & Habſenſis*, ſunt quaſi beneficia, & res ſpirituales, propter ſpiritualem juriſdictionem in ſubditos, & annexam curam animarum: ideò ſimili modo diſcurrendum de illis, ac de beneficiis.

§. IV. *Jus Patronatus*

52 I. *Eſt Jus, ſeu poteſtas præſentandi Clericum ad beneficium Eccleſiaſticum vacans.* Ita in re communis. Acquiritur verò jus patronatus tribus cauſis, & modis, videlicet *fundatione, ædificatione, & dotatione Eccleſiæ.* Si unus, idemque ſimul fundet, ædificet, ac dotet Eccleſiam, ſolus erit Patronus: ſi verò plures concurrant, ita ut unus dotet, alter fundet, & tertius ædificet, erunt omnes patroni. Communis apud Reiffenſtuel *in 3. Decret. tit. 38. num. 10.* Poteſt nihilominùs jus patronatus etiam acquiri ex *Privilegio* Summi Pontificis, & *præſcriptione.* Porrò juris patronatus capaces ſunt non tantùm Clerici, ſed etiam Laici: *ex cap. quoniam 3. & cap. cum autem 25. de Jure Patronatus*, & hoc ex ſpeciali gratia Eccleſiæ, ut Laici magis inducerentur ad fundandas, & dotandas Eccleſias, imò etiam *fœminæ* ſunt capaces juris patronatus, ex cap. *fin. de conceſſ. Præbend. & cap. ex litteris 7. de Jure Patronatus*, ſicut & *impuberes, ex can. piæ mentis 26. & ſeqq. can. Quicunque 30. & can. filiis 31. cauſa 16. quæſt. 7.*

53 II. Patrono ratione juris patronatus, quatuor jura competunt *ex cap. nobis 25. de Jure patronatus*, & enarrantur à Gloſſa ibidem per notos illos verſiculos.

Patrono debetur honos, onus, utilitaſque;
Præſentet, præſit, defendat, alatur egenus.

Itaque primò competit Patrono *jus præſentandi*, ita ut ſi Clericum idoneum præſentet ad beneficium; Epiſcopus, vel alius, ad quem inſtitutio ſpectat, eum admittere, & in beneficio inſtituere teneatur: juxta communem, & certam ſententiam, patetque *ex toto titulo de jure patronatus*: ſi tamen tempore à Jure præſcripto fiat præſentatio. Habet autem Patronus Eccleſiaſticus ad præſentandum ſex menſes, Laicus verò tantùm quatuor, à die notitiæ vacantis beneficii ex *cap. 3. & 27. de Jure patronatus, & capite unico, eodem tit. in 6. & cap. Quia diverſitatem 5. de conceſſ. præbend.* Quo tempore elapſo, & non facta præſentatione, devolvitur pro ea vice collatio beneficii ad eum, ad quem pertinet inſtitutio, *ex cap. eam te 22. & cap. cùm propter 27. de Jure patronatus.* Jam certum eſt, ſi patronus præſentet indignum quòd præſentatio ſit invalida, *ex toto titulo, de Jure patronatus.* Sed quæſtio eſt ſatis intricata: An Patroni teneantur præſentare digniorem ad beneficium *curatum?* quia Patronum, ſive Eccleſiaſticum, ſive Laicum, regulariter loquendo, non obligari graviter, digniorem præſentare *ad beneficia ſimplicia*, non Curata: communis eſt Sententia, de qua vide *ſuprà num. 50. circa medium.* Et quidem Patronum Eccleſiaſticum graviter obligari ad beneficium Curatum, Parochiam, v. g. præſentare illum, quem cognovit digniorem, ſive in, ſive extra concurſum fiat præſentatio, docent Covarruvias, Guttierez, Leſſius, Sanchez, Cardenam apud Reiffenſtuel *cit. num. 77.* cum communi aliorum, & nos jam probavimus *ſuprà num. 50.* Quantum ad patronum Laicum, quamvis non deſint, docentes, eum non obligari graviter, ut ad Parochiam præſentet digniorem inter quos eſt Caſtro-Palaus *parte 2. tractatu 11. diſputat. 2. p. 7. numero quarto.* Garzias *de Beneficiis, parte ſeptima cap. 16. numero 19.* & alii, tamen probabilior, & meritò tenenda eſt ſententia dicens, etiam patronos Laicos graviter obligari, ut præſentent digniorem ad Beneficium. Ita Doctores mox citati, utpotè, qui indiſtinctè docent, quamvis Patronum teneri præſentare digniorem, & quidem Guttierez cum Covarruvia dicere non dubitat, contrariam ſententiam eſſe falſam. Fundamentum eſt. Quia ratio quoad patronos Eccleſiaſticos *ſuprà num. 50.* allata, etiam militat in patronis Laicis, ut legenti patebit: atqui ubi eadem eſt ratio, eadem eſt legis diſpoſitio: ergo. Confirmatur ex Concilio Tridentino *ſeſſione 24. de Reformatione capite primo*: ubi expreſſè aſſerit *omnes, & ſingulos, qui ad promotionem præficiendorum quodcumque Jus, quacunque ratione, à Sede Apoſtolica habent, aut alioquin operam præſtant, alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles ipſi judicaverint, & præfici diligenter curaverint.* Atqui patroni Laici æquè, ac Eccleſiaſtici, vel maximè operam præſtant in præficiendis Parochis; ergo. Nec obſtat, quòd Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. de Reformatione cap. 18.* inſinuare videatur, patronos Laicos ſatisfacere, ſi dignos, etſi non digniores, præſentent, eo ipſo, quòd ibi præcipiat, ut ſi hi idoneum præſentent, eum Ordinarius admittat. *Reſpondetur* enim: per hoc ſolummodò probari, quòd ſit valida, & conſequenter neceſſariò admittenda præſentatio digni relicto digniore, (quod nos etiam fatemur) non item, quòd ſit licita, aliàs enim manifeſtè ſequeretur, quòd etiam patroni Eccleſiaſtici licitè præſentarent, imò Epiſcopi licitè conferrent Parochias dignis, prætermiſſis dignioribus (quod eſt contra omnes adverſarios) etiamſi forent non patronatæ, eo quòd idem Concilium Tridentinum *ſeſſ. 7. de Reformatione cap. 3.* Univerſaliter ordinet, ut *ſi Beneficia, vel curata perſonis dignis, & habilibus* (nulla facta mentione de dignioribus) *conferuntur, admitti debeant.*

54 III. Secundum Jus patrono competens eſt jus *honoris*, conſiſtens in eo, quòd patrono competat præcedentia proceſſionis, quatenùs ei in Litaniis proceſſionaliter cantari, aut recitari ſolitis, & in aliis publicis proceſſionibus locus dignior præ aliis Laicis debetur. Item quòd in Eccleſia ſua *Patronata*, debeat honorari in præcedentia honorabilioris Sedis, & dignioribus loci, atque Anterioritate in ſuſcipienda pace, Thurificatione, & aliis ſimilibus caſibus, *ex can. piæ mentis 26. cauſa 16. quæſt. 7. & cap. Nobis 25. de jure patronatus.* Tertium jus patrono competens eſt jus *Alimentationis* conſiſtens in eo, ut *ſi ad inopiam vergat* (patronus) *ab Eccleſia ille modeſtè ſuccurratur, ſicut in ſacris eſt Canonibus inſtitutum*, ſunt verba *cap. Nobis 25. de jure patronatus.* Præterea

55 IV. Patronus *duo* præcipuè *onera, ſeu munera, & obligationes* habet tuendi nempè, & defendendi Eccleſiam. Et quidem *primò* debet tueri Eccleſiam, habendo debitam ſolicitudinem pro ejus bonis, ne videlicet à Rectore, vel miniſtris, aut etiam ab aliis dilapidentur malè, aut contra finem à Fundatore intentum applicentur. *Can. filiis 31. cauſa 16. quæſt. 7. Secundò* debet patronus, Eccleſiam tamquam advocatus ipſius in, & extra Judicium pro poſſibili defendere *cap. præterea 23. & cap. cum autem 24. de Jure patronatus.* Plura de his vide apud Canoniſtas.

Quæſtio Incidentalis.

An ad Officia Sæcularia debeat eligi dignior, & an poſſint licitè vendi?

56 RESpondeo I. Certum eſt, non poſſe abſque peccato ad Officium ſæculare eligi perſonam indignam, hoc eſt ineptam ad ſatisfaciendum obligationibus talis officii, & Principem, ac alios quoſcunque, quibus electio commiſſa erat, teneri ad reſtitutionem pro damno illo, quod Reipublicæ ex tali electione obvenit. Ratio eſt, quia ſunt injuſta cauſa damni illius. Reſpondeo II. Quamvis Leſſius, Valentia, Reginaldus, Diana, & plures Alii apud Cardinalem de Lugo *diſp. 34. ſect. 2.* & noſtrum Maſtrium *in Th. Moral. diſp. 6. quæſt. 1. num. 4.* doceant, ad officia ſæcularia, & temporalia eligendos eſſe digniores: nihilominùs *Cajetanus, Vaſquez, Molfeſius, Homobonus, & Alii apud Maſtrium cit.* docent Electores ſatisfacere ſuæ obligationi, eligendo dignos ad hujuſmodi Officia, etiam digniori prætermiſſo *excepto concurſu.* Quorum ratio eſt: quia non apparet, electores aliam habere obligationem in his officiis diſtribuendis, quàm ut ſufficienter provideant, ne ex electione Reſpublica damnum patiatur: ſed eo ipſo, quòd eligant dignum, id curant ſufficienter, ergo non tenentur eligere digniorem, maximè, cùm officiis ſæcularibus non ſit annexa cura animarum, utì eſt in Eccleſiaſticis. Dictum eſt: *excepto concurſu*, quando ſcilicet vocantur plures, ut ex illis dignior eligatur. Et ratio eſt: quia eo ipſo, quòd vocentur plures concurrentes, fit cum ipſis implicitus contractus, ut ille, qui meliùs ſubſtiterit, & dignior fuerit inventus, Officium tamquam præmium reportet: ſed hic contractus non ſervaretur, ſi dignior non eligeretur: ergo. Reſpondeo III. Licet Joannes Medina, Adrianus, Angles, Leſſius, & Alii apud *Maſtrium cit. num. 6.* negent, ſæcularia Officia licitè vendi poſſe: affirmant tamen alii magis communiter, talia officia licitè vendi poſſe, quoties ex venditione eorum non eſt periculum, quòd Reſpublica damnum patiatur: ad quod periculum evitandum dicunt, in tali venditione aliquas conditiones obſervari debere. Prima eſt, ut non vendantur, niſi dignis. II. Ut hoc fiat ob aliquam Reipublicæ neceſſitatem, cui aliter conſuli commodè non poſſit. III. Ut non vendantur pretio adeò exceſſivo, ut inducatur emptor Officio abuti, ad compenſandum ſibi pretium ſolutum. IV. Ut hi officiales ſuis temporibus examinentur, & viſitentur, ut conſtet, an in ſuis officiis ſe benè gerant; his enim ſervatis conditionibus, non ſequuntur inconvenientia, ab oppoſita ſententia ex tali venditione illata. Ita Cajetanus, Navarrus, Vaſquez, Azorius, Corduba, Valentia, Sylveſter, Pontius, & Alii plures, quos refert Cardinal. de Lugo *diſputatione 24. ſectione tertia*: & ſatis probabile putat, cùm talia Officia ſæcularia ſint res temporales, & pretio æſtimabiles. Aliud eſt in Eccleſiaſticis, ac Regularibus, dignitatibus, beneficiis, officiis, &c. quæ quia ſunt res ſpirituales, vel rei ſpirituali ſunt annexa, vendi non poſſunt, ſed gratis debent conferri, ut jam ſuprà dictum *numer. quadrageſimo quarto in hac ſectione*: aliàs committeretur ſimonia, & collatio foret nulla, ex cap. *cùm deteſtabile, de ſimon. Extrav. commun.*

QUÆSTIO II.

De Parochiis, & earum Juribus.

SUMMARIUM.

58 *Quid ſit Parochia?*
59 *Quatuor requiruntur ad conſtitutionem Parochiæ.*
60 *Jura Parochiæ, Eccleſiæ, & Parocho competentia enumerantur.*
61 *Quid ſit Parochianus proprius, & quid alienus?*
62 *Quid ſint Decimæ?*
63 *Decimæ debentur Jure naturali, Divino, & humano.*
64 *Defraudans decimas peccat contra virtutem Religionis, & juſtitiæ.*
65 *Defraudans, vel non ſolvens decimas poteſt, & debet excommunicari.*
66 *Quid ſint primitiæ, & quo Jure debeantur?*
67 *Quid ſint Oblationes, & quæ veniant nomine Oblationum?*
68 *Oblationes per ſe loquendo, nec Divino, nec humano jure debentur.*
69 *Ad quem ſpectent Oblationes intra, vel extra Eccleſiam factæ, an ad Parochum, vel ad Eccleſiam:*
70 *Oblationes, quæ fiunt in Eccleſiis Regularium, pertinent ad Monaſterium, pro Religioſis ibi ſervientibus.*

ASSERTIO IV.

57 *PArochia eſt certum Territorium, ſeu diſtrictus per Papam, vel Epiſcopum determinatus, habens unum Rectorem ſtabilem, cum poteſtate populum ibidem exiſtentem regendi, eique Sacramenta, & alia Divina adminiſtrandi. Jura Parochialia Eccleſiæ, & Parocho competentia ſunt plura; inter quæ etiam eſt, quòd Parocho ſolvi debeant Decimæ, Primitiæ, & Oblationes.* Communiſſima.

§. I. *Parochia eſt certum Territorium*

58 I. *SEu diſtrictus per Papam, vel Epiſcopum determinatus:* quia quævis Parochia habet certos limites, intra quos, & non extra, Juriſdictionem in foro pœnitentiali habet, & exercere poteſt Parochus, *ex capite primo cauſa decima tertia quæſtione prima*, quos limites determinare poteſt Papa, vel Epiſcopus, & nullus alius, *ex Canone Nullus omninò 11. Cauſa decima ſexta quæſtione ſeptima*, & docet ibi Barboſa cum communi. *Habens unum Rectorem ſtabilem*, qui non ampliùs, ut olim, ad nutum eſt amovibilis, ſed ſtabilis, ac perpetuum præeſt, & inſtituitur in quavis parochia, & vocatur *Parochus, vel Rector Eccleſiæ Parochialis, vel Curatus* à Cura ſpirituali, qua commiſſum ſibi populum regit. Reliqua verba adduntur ad indicandum Officium, & poteſtatem Parochi. Itaque

59 II. *Quatuor* requiruntur ad conſtitutionem Parochiæ, ſeu Eccleſiæ parochialis: & quidem I. Requiritur, ut auctoritate Papæ, vel Epiſcopi ſit erecta. II. Certus diſtrictus cum certis limitibus ab Epiſcopo determinatis. III. Ut unum ſolum, ac perpetuum Rectorem, ſeu parochum habeat, *ex Concilio Tridentino ſeſſione vigeſima quarta de Reformatione capite decimo tertio.* IV. Cura animarum, & poteſtas fori pœnitentialis, competens ſoli Rectori Eccleſiæ, ita, ut Jure ordinario ſolus Parochus in Parochianos prædictam habeat curam. Ex Concilio Tridentino mox citato, dicente: *Cuicunque Parochiæ ſuum perpetuum, peculiaremque Parochum aſſignent Epiſcopi, qui eas cognoſcere valeat, & à quo ſolo licitè Sacramenta ſuſcipiant.*

60 III. Jura parochialia, Eccleſiæ, & Parocho competentia, præter poteſtatem fori pœnitentialis, (de qua ſuprà *hac ſectione numero quadrageſimo primo*) ſunt potiſſimùm ſequentia. I. Quòd parochiani proles ſuas proprio Parocho teneantur baptizandas offerre, *ex Concilio Florentino in Decreto Eugenii*, & docet cum communi aliorum Layman *libro quinto, tractatu ſecundo, capite ſeptimo, numero ſecundo.* Barboſa *de officio, & poteſtate Parochorum parte prima, capite decimo octavo, numero primo*: dicentes, Parochianum graviter peccare, ſi abſque licentia proprii Parochi prolem baptizandam alieno offerat. II. Ut diebus Dominicis, & Feſtivis in Eccleſia parochiali Miſſam audiant, ex *capite ſecundo de Parochiis.* Quo non obſtante conceſſit Leo Decimus, Bulla *intelleximus quoſdam, data Romæ, die decima tertia Novembris*, 1517. in Bullario Cherubini *tomo primo pagina* 597. quòd audientes Miſſam in Eccleſiis Fratrum Ordinis Mendicantium, Dominicis, & Feſtis diebus, ſatisfaciant præcepto Eccleſiæ de audienda Miſſa, nec aliquam labem peccati contrahant, nec pœnam incurrant. III. ut ſemel in anno proprio Parocho confiteantur, *ex capite omnis utriuſque 12. de Pœnitentiis, & remiſſionibus.* Ex conſuetudine tamen, & privilegio *Clementis dudum 2. §. ſtatuimus etiam*, & Bulla, *ſuperna, Clementis Decimi*, & alibi habetur, quòd dicti Parochiani etiam tempore paſchali confiteri poſſint Religioſis Mendicantibus. Vide dicenda *ſectione tertia, quæſtione quarta, numero* 194. IV. Ut Parochiani reverenter ad minùs in Paſchate Euchariſtiæ Sacramentum ibidem ſuſcipiant, *ex capite omnis utriuſque, citato.* V. Ut non niſi à proprio Parocho Sacramentum Extremæ Unctionis percipiant. *Clement. 1. de Privilegiis.* Ubi etiam exemptis, & privilegiatis Regularibus ſub pœna excommunicationis prohibetur, ne abſque licentia Parochi hoc Sacramentum alicui Parochiano adminiſtrent. VI. Quòd mortui in parochiali Eccleſia, vel cœmeterio ſepeliri debeant, niſi alibi ſepulturam Majorum habeant, vel propriam eligant, juxta dicenda *ſectione tertia, quæſtione quarta, numer.* 198. VII. Quod in Eccleſia parochiali coram proprio Parocho Matrimonia, & nuptiæ ſolemni ritu celebrentur, *capite primo de Clandeſtina diſpenſatione, & can. primo cauſa trigeſima, quæſtione quinta*, & ex Concilio Tridentino *ſeſſione vigeſima quarta, de Reformatione Matrimon. capite primo*, de quo vide Patritium Sporer, *de Matrimonio.* IX. Quod Parocho ſolvi debeant Decimæ, primitiæ, & oblationes, juxta ſtatim infrà dicenda 9. Quòd limites, fines, ſeu termini parochiarum, nec per tempus immemorabile præſcribi valeant, *ex capite ſuper eo, quarto, de Parochiis, & alienis parochianis* 10. Quamvis nullum exiſtat in jure præceptum, quòd mulieres poſt partum in Lege nova, ante ingreſſum in Eccleſiam petant à Parocho loci benedictionem, & dent aliquid pro ea, ſed ſtando Juris diſpoſitioni, utrumque liberum ſit mulieribus, tamen conſuetudine introduci poteſt, pluribuſque in locis introducta habetur obligatio, dictam benedictionem ante ingreſſum ad Eccleſiam petendi, & aliquid pro ea Parocho præbendi: quare facultas benedicendi poſt partum mulieres, & aliquid ab eis recipiendi, *ſi per conſuetudinem legitimam introducta ſit* etiam numeratur inter Jura parochialia, & tunc Regularibus non competit: prout declaravit Sacra Congregatio *Concilii Tridentini* 1662. *die decima octava Novembris* apud *Reiffenſtuel in tertio Decretal. titulo* 47.

61 IV. Quantum ad *parochianos* ſciendum, omnes, & ſolos illos eſſe, & dici parochianos, qui intra limites alicujus Parochiæ verum, vel ſaltem quaſi domicilium habent, ſive Laici, ſive Clerici (niſi alibi beneficium cum reſidentia habeant, ibique reſideant) dicunturque *proprii parochiani* reſpectu illius Parochi, in cujus Parochia degunt: *Alieni* verò reſpectu alterius parochi, in cujus parochia domicilium non habent. Ita communis apud Reiffenſtuel *in 3. Decret. titulo vigeſimo nono, numero decimo.* Patetque ex terminis; *Parochiani* enim *à Parochia* dicuntur. Si quis in duabus Parochiis domicilium habet, ibique æqualiter, vel quaſi æqualiter habitat, utrobique parochianus eſt. Ita Barboſa, *de officio, & poteſtate Epiſcopi parte ſecunda, alleg. trigeſima ſecunda, numero* 79 citans plures Rotæ deciſiones. Si verò inæqualiter in illis habitet, ibi Parochianus erit, in qua per notabiliter majorem anni partem moratur. Barboſa *loco citato numero* 70. Quòd ſi domicilium in confinibus duarum Parochialium habeat: ibi Parochianus erit, ubi domus aditum habet. Barboſa *citatus numero* 71. Cæterùm, quid ſit domicilium verum, & quaſi tale, vide *capite præcedenti, ſectione tertia, numero* 254. Porrò parochiani Laici poſſunt pro libitu mutare domicilium, & etiam abſque ulla licentia, non tantùm ab una Parochia, ſed etiam ab una Diœceſi ad aliam migrare: Clerici tamen ab una Diœceſi ad aliam ſine licentia, & dimiſſoriis proprii ordinarii tranſire non poſſunt, *ex capite primo, & ſecundo, de Clericis Peregr.*

Quæres; *Quæ ſit obligatio Parochorum erga ſuos parochianos?*

Reſp.